

ab ea, quæ ad malum est, cupiditate. Hunc Domini timorem nos Pater promissit se esse docturum. Promissitne Pater se docturum esse timorem illicitum, & brutalibus passionibus æquiparatum? Doctorem turpitudinis Deum facere, eique attribueret suasionem à sanctimonia retrahentem, numerabit omnis Catholicus inter blasphemias.

7 Et paulò ante: *Quemadmodum qui corporis membra habent clavibus transfixa, ea habent ad operationem immobilia; sic quorum animus occupavit Dei timor, omnem importunitatem, quæ ex peccati affectione ac perturbatione oritur, vitant. Timentis itaque non est inopia, hoc est, nihil illi ad ullam virtutem deest, qui per timorem ab omni prava affectione cohibetur. Si Deum timentis nihil ad virtutem deest, copiosa illa ad pietatem instructio oriens à timore, tutissima ad Deum manu ductio est; adeò non debet hominem à Dei cultu ac pietate revocare. Imò, inquit, idem sanctus in Psalm. 32. *Necessariò velut introductorius ad pietatem timor assumitur; dilectio verò deinceps succedens à timore scientifico adaptatos perficit.**

Ad formidinem veluti Divino obsequio perutilem, & præsertim incipientibus ad Deum accedere necessariam, sancti Patres excitant nos, hortantur, impellunt.

Questnellus verò, quantum fraudibus potest, retrahere conatur: attrahere cum reliquis SS. Doctoribus Hieronymus Tom. 3. ad Fabiolam mansione 28. *Timore supplicii & ejus loci, ubi est fetus & fridor dentium, deserens Diaboli vincula, Christo Domino credentium turba colla submittit.* Confirmat idem Augustinus Lib. de Catechizandis rudibus cap. 5. *Rarissimè accidit, imò verò nunquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore percussus.*

Quod de venientibus ad Christianismum Augustinus enuntiat, valet etiam in deserentibus hæresim, & à schismate volentibus ad Ecclesiam redire, ut rarissimè, imò verò nunquam id opere exequantur, quos non aliqua Dei formido perculerit. Ideo in adversariis, quandiu circa præsentem Articulum & sequentem de timore servili non mutaverint sententiam, conversio apparet impossibilis; mox enim ubi Deus timorem inspiraverit salutariferum, superbus eum novatoris animus ad bestias relegabit. Roganda igitur summa Numinis misericordia, ut præsentem ante ceteros eis auferat errorem, quo sublato ad conversionem reliquam via planior aperietur.

8 Charitatem ceteris virtutibus & Dei donis præcellere, nemo Catholicus diffite-

tur; verum omnia præter eam contemnere hæreticis proprium est, quorum dum labia sonant dilectionis dulcedinem, corda turgent felle amarissimo odiorum adversus omnes, quos suis experiuntur novitatibus refragari. *Ecclesia* verò, inquit S. Gregorius lib. 19. *Moralium* cap. 11. *sic scit bona superiora suscipere, ut noverit etiam inferiora venerari: quatenus nec summa æquet infimis nec rursus ima despiciat, dum summa veneratur.*

Quam secutus regulam S. Bernardus Tract. de præcepto & dispensatione, Bonus, ait, *obedientia gradus est, si propter metum gehenna quisquam obedierit; melior tamen cum ex amore obeditur.* Varios quoque in ipsa formidine agnoscit bonitatis gradus Dominica 1. post octavam Epiphaniæ serm. 2. *Primus timor est, ne excruciemur in gehenna: secundus est ne exclusi à visione Dei privemur tam ineffabili gloria: tertius replet animam omni sollicitudine timidam, ne fortè deseratur à gratia. Et quidem omnis timor Domini, sicut aqua extinguit ignem, sic extinguit peccati concupiscentiam.* Ibid. Serm. 1. *Aqua repleantur, timore Domini custodiantur; quoniam timor Domini fons vitæ: aqua, inquam, timor Domini est; seminus sapida; at optimè refrigerans animam noxiis desideriis astuantem.*

Idem sanctus ad illud Ecclesiastici cap. 7. *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis, sic monet: Time quod in gehenna cruciatibus æternis & immensis exponendus es.* Serm. de diversis affectibus animæ; jam verò secundo statu incipit esse sub Domino, qui tanquam servus carcerem timet, & metuit ne subigatur penis: in quo sanè statu conversio est, exitusque à seculo, & introitus vitæ, proinde ad Deum appropinquatio.

Gregorius Nazianzenus oratione 40. in sanctum Baptisma. *Tres enim classes eorum, qui salutem consequuntur esse scio; servorum videlicet, mercenariorum & filiorum. Si servus es, plagas time: si mercenarius, mercedem duntaxat spera: si autem supra hos assurgis, & filius es, ut patrem verere, ac bonis operibus stude; quia bonum est patri; etiam si ex ea re nihil questus ad te rediturum sit.* Salutis ad bestias pertinet, aut ad eos, qui brutalibus habenas laxant passionibus? Non igitur prima classis bestiarum est, neque ad illas timor Domini, aut æternorum cruciatuum rejiciendus.

9 Hominem ad virtutis etiam perfectæ studium induci formidine, docet clarissimè Augustinus Serm. 214. de tempore: *Cum time-*